UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Caput centesimum trigesimum primum. Jesus moriens veniam adversariis suis à Deo precatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Visual Library

CAPUT CXXX.

Jeſus pendens in cruce ſubſannatur à prætereuntibus.

PSALM. 3. 1, 2. *Domine, quid multiplicati ſunt qui tribulant me? multi inſurgunt adverſum me: multi dicunt animæ meæ, Non eſt ſalus in Deo ejus.*

Pſalm. 21. 7, & ſeq. *Ego autem ſum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me deriſerunt me; locuti ſunt labiis, & moverunt caput, Speravit in Domino, eripiat eum; ſalvum faciat eum, quoniam vult eum.*

Pſalm. 34. 14, & ſeq. *Quaſi lugens & contriſtatus, ſic humiliabar: & adverſum me lætati ſunt, & convenerunt: congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoravi: diſſipati ſunt, nec compuncti: tentaverunt me, ſubſannaverunt me ſubſannatione.*

Pſalm. 68. 18, & ſeq. *Et ne avertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam; propter inimicos meos eripe me. Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reverentiam meam. In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me, improperium expectavit cor meum & miſeriam. Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & qui conſolaretur, & non inveni. Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.*

Pſalm. 108. 25. *Et ego factus ſum opprobrium illis: viderunt me, & moverunt capita ſua.*

Thren. 3. 14, & ſeq. *Factus ſum in deriſum omni populo meo, canticum eorum tota die. ..... Aperuerunt ſuper nos os ſuum omnes inimici...... Audiſti opprobrium eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adverſum me; labia inſurgentium mihi, & meditationes eorum adverſum me tota die. Seſſionem eorum, & reſurrectionem eorum vide; ego ſum pſalmus eorum.*

MATTH. 27. 39, & ſeq. *Prætereuntes autem blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes, Vah qui deſtruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas, ſalva temetipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus, dicebant, Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere: ſi Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo, liberet nunc ſi vult eum: dixit enim, Quia filius Dei ſum. Idipſum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Et Marc. 15. 28, & ſeq. Luc. 23. 35, & ſeq.

CAPUT CXXXI.

Jeſus moriens veniam adverſariis ſuis à Deo precatur.

PSALM. 34. 11, & ſeq. *Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me: retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ. Ego autem, cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio: humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo convertetur.*

Pſalm. 108. 1, & ſeq. *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & os doloſi ſuper me apertum eſt. Locuti ſunt adverſum me lingua doloſa, & ſermonibus odii circum-*

LUC. 23. 34. *Jeſus autem dicebat, Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.*